

ADDITAMENTUM ALCMAEONIUM

Annalium Wirceburgensium tomo nono p. LXXIX sp. Platonem in Sophista p. CCXLII, ubi dicit philosophum fuisse quendam, qui duo principia mundi esse contraria inter sese et diversa censeret, non Archelaum Atheniensem, sed Alcmaeonem Crotoniatam respexisse demonstrare conatus sum. Quibus rebus tractatis apud Isocratem incidi in locum hucusque a viris doctis haud satis animadversum, quo quod sentio confirmari potest. Loquitur enim Isocrates in ea oratione, quae Περὶ τῆς ἀντιδόσεως inscribitur, c. CCLXVIII de veteribus philosophis, quos appellat sophistas, enumeratque eorum de mundi principiis sententias: ὁ μὲν ἄπειρον τὸ πλήθος ἔφησεν εἶναι τῶν ὄντων, Ἐμπεδοκλῆς δὲ τέτταρα καὶ νεῦκος καὶ φιλίαν ἐν αὐτοῖς, Ἰων δ' οὐ πλειώ τριῶν, Ἀλκμέων δὲ δύο μόνα, Παρμενίδης δὲ καὶ Μέλισσος ἔν, Γοργίας δὲ παντελῶς οὐδέν. Differant licet paulum scriptores, cum Isocrates numeris principiorum exhibitis quinque nominat philosophos, Plato omissis duorum nominibus affert tres eorundemque principia qualitatibus distinguit, tamen nemo non intellegit, quanto maior amborum sit consensus. Uterque enim de veterum philosophorum principiis loquitur; uterque ordinat illorum philosophorum seriem numeris principiorum adhibitis; uterque initium enumerandi facit ex summo principiorum numero; uterque denique Parmenidem Melissumque sive Eleaticos nominat inter eos, qui unum tantum principium esse existimant. In tanto autem auctorum consensu maximi est momenti ab Isocrate, ubi de illo philosopho dicit, qui duo principia esse censeat, Alcmaeonem nominari. Locus enim Isocrateus, cum totus Platonico adeo respondeat, ut vix dubium esse possit, quin eodem ex fonte fluxerit uterque, illum apud Platonem philosophum, qui duo esse principia opposita inter sese et contraria esse crediderit, neminem alium esse posse nisi Alcmaeonem Crotoniatam plane declarat. q.e.d.

Scripsi Monaci Bavarorum mense Februario A.D. MCMLXXXIV.

ANDREAS PATZER